


Johann Georg Pritius


## **Io. Georgii Pritii, D. De Pelagianismo Orthodoxae Ecclesiae A Reformatis Iniqve Impvtato : Dissertatio Inavgvralis**

Editio Qvarta, Ienæ: Apvd Io. Fridericvm Rittervm, M DCC XXV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862086485>

Druck Freier  Zugang





53

Fa-1092(53)

IO. GEORGII PRITII, D.  
DE  
**PELAGIANISMO**  
ORTHODOXAE ECCLESIAE  
A REFORMATIS INIQVE  
IMPVTATO  
*DISSERTATIO INAUGVRALIS.*



EDITIO QVARTA.

10.

---

I E N Æ

---

APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM,  
M DCC XXV.

IO. GEORGI FRITH. D.

PETAGIANISMO

ORTHODOXAE ECCLESIAE

A REFORMATIONIS INIQUIE

IMPYATATO

DISSEMINATA IN ANGLIA



10.

EDITIONE QUARTA

L. B. N. E.

ALIC. JO. FRIEDRICH KITTNER  
M. DCC. LXXI.

SERENISSIMO CELSISSIMO<sup>QUE</sup>  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
CAROLO GVILIELMO,  
PRINCIPI ANHALTINATVS, DVCI SA-  
XONIAE, ANGRIAE ET WESTPHA-  
LIAE, COMITI ASCANIAE, DOMI-  
NO SERVESTAE, BERNBV RGI, IE-  
VERAE ET KNIPHVSII,  
PATRIAE PATRI INCOMPARABILI,  
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

VTI ET  
SERENISSIMO CELSISSIMO<sup>QUE</sup>  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
ANTHONIO GVNTHERO,  
PRINCIPI ANHALTINO, DVCI SAXO-  
NIAE, ANGRIAE ET WESTPHALIAE,  
COMITI ASCANIAE, DOMINO SER-  
VESTAE, BERNBV RGI, IEVERAE  
ET KNIPHVSII,  
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMI PRINCIPES,  
DOMINI CLEMENTISSIMI,



Vdet hoc quaecumque melete-  
ma theologicum CELSISSIMARVM  
SERENITATVM VESTRARVM con-  
spectui se vna cum Auctore suo  
demississime sistere, non aliqua  
nostri fiducia, qui pudore po-  
tius suffundimur, tantorum PRINCIPVM subitu-  
ri oculos; vt qui sumus tenuitatis nostrae  
haud quaquam nescii, nec vnquam SERENISSI-  
MORVM capitum gratia ad animos capiendos  
excitati; sed ob rationes haud inualidas, quas  
certissime persuasi sumus non improbatura  
mortalium seueriora etiam iudicia. Defendit  
haec dissertatio ecclesiam orthodoxam, cui a  
multis iam annis innocentissimae quamuis, per-  
niciosae alicuius haeresios crimen ab iis inten-  
ditur, qui alioquin partibus nostris prolixè fa-  
uere videbantur. Quis autem nescit omnium,  
quanto deuotionis sincerissimae ac puritatis in  
religione a Lutero restitutae flagretis studio,

SERE-

SERENISSIMI PRINCIPES? vt non laude minus im-  
pensisfimi erga patriam amoris, curae pro sub-  
ditis indefessae, prudentiae in gerendis negotiis  
& administranda republica plane singularis, re-  
rumque gloriosissime pace belloque gestarum;  
quam incomparabilis pietatis, tot inclytis splen-  
didissimisque monumentis spectatae, celebren-  
tur vbique SERENITATVM VESTRARVM Nomina?  
Ad quorum ergo vel arbitrium vel patrocini-  
um felicius potuisset defendendi innocentiam  
ecclesiae, a Luthero adpellitatae, conatus hic  
noster haud indecorus se recipere, quam ad  
SERENISSIMOS PRINCIPES, CAROLVM GVI-  
LIELMVM atque ANTHONIVM GVN-  
THERVM, PRINCIPES, inquam rerum diuina-  
rum humanarumque admirabiliter scientes; vt  
qui & possint pro insigni sua sapientia, & velint  
quoque pro inusitata pietate, suo eundem gra-  
uissimo iudicio recte expendere, & ad defensio-  
nis quoque haud infeliciter tentatae opinionem  
quibuscunque commendare.

Accedit vero, quod nuper admodum SE-  
RENITAS TVA, CAROLE GVILIELME, PRIN-  
CIPVM EMINENTISSIME, de me ex patria omnium  
charissima euocando cogitauerit; meque tum  
ecclesiae Seruestanae Pastorem, tum illustris  
Gymnasii Professore esse clementissime an-



nuerit pariter atque iusserit. Non conueniebat ergo, theologicum hunc foetum vlli commendari inter mortales, quam cui fortunam in hoc mundo debiturus sum imposterum meam, hoc est, SERENITATI TVAE, PATRIAE, PATER INDVLGENTISSIME.

Adsum ergo venerabundus, & quae in solemniissima Panegyri defendendam suscepi, Disputationem apologeticam ad pedes CELSITVDINVM VESTRARVM submisissime depono; id precibus humillimis expetens, vt lumen a Gratiae Vestrae, PRINCIPES MAXIMI, radiis eidem foenerari, pro Clementia Vestra plane diuina, non indignemini; cum augustiorem splendorem aliunde nec licuerit mihi, nec potuerim arcessere. Ego vero, non intermittam pro salute SERENITATVM VESTRARVM; pro salute CONIUGIS TVAE SERENISSIMAE, PATRIAE PATER; pro salute SERENISSIMI FILII, exteris in regionibus, in virtutis omnigenae admirandum specimen se elaborantis ac proficientis; pro salute denique vniuersae DOMVS SERENISSIMAE ANHALTINAE si minus disertas, at religiosas tamen preces effundere.

SERENISSIMARVM CELSITVDINVM  
VESTRARVM

Lipsiae d. XXII. August.  
A. cl. lxxc. XCVIII.

*subiectissimus seruus*

IO. GEORGIUS PRITIVS.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

**S**Aepissime contingere videas, LECTOR BENEVOLE, ut innoxiae quamvis sententiae, quaequae rectissime posita sunt, grauiissimi alicuius erroris postulentur, vel haeresios quoque foedissimae adspargantur macula; siue quod, quae vera sunt, haud magno adeo interuallo non raro ab errore disiungantur; siue quod cum vna sit veritas, cui errores multiplices opponuntur, ea inuentu sit paulo difficilior, quodque qui eam tenent atque tuentur, veluti contrarii erroris propugnatores aliis in diuersum errorem prolapsis videantur. Id quod exemplis manifestissimum redditur; quae quidem cum plura suppeditent historiarum monumenta, longe arcessenda non sunt. Qui olim Eutychnianis partibus addicti erant, recte de distinctione duarum in Christo naturarum sentientes Nestorianismi insimulabant; cum contra Nestorii adsectatores Eutychniano crimine inuoluebant, qui iuxta litterarum sacrarum placita vnum Christum, ex duabus naturis in vnam personam arctissime coalitis constantem, profitebantur. Iam ante ista tempora Sabelliani catholicum dogma amplexos, quasi Tritheitae aut Ariani essent, differebant; hi contra eosdem Sabellianismi nomine infamabant. Quae agendi ratio cum olim frequenter in vsu fuerit, non existimandum est, eam sequioribus temporibus exoleuisse. Est enim vero cur de Reformatorum in nos iniquitate conqueramur iustissime, Pelagianismi, deterrimae tempore Augustini haeresios, nos subinde inculantium siue affectus suos in nos vicisci cupiant, siue reuera in illa versentur persuasione, doctrinas nostras Pelagii erroribus non differre, quae tamen distant ab illis, vt quae longissime. Incumbit interim orthodoxiae studiosis veritatem, quam habent liquido perspectam, strenue adserere, atque ab obiectis criminibus,

PRAEFATIO AD LECTOREM.

nibus, quam maxime fieri potest, vindicare. Id nobis nunc propositum est, nempe ecclesiam, a Luthero puritati suae restitutam, a Pelagianismi accusatione, quem Reformati nobis impingere gaudent, breuissime, sed luculenter tamen, liberare, vt pateat, nullam esse causam, quare Reformatorum ecclesiae nostris partibus huius haeresios crimen impostero in- tendere pergant. Nec, vt putamus, ista cum ipsorum molestia suscipietur nostri defensio; quippe cum nihil magis in votis atque optatis habere videri velint, quam in vnam nobiscum societatem congregari; quod ea ratione credimus facillime procedet negotium, si perspicuum euaserit, liberos nos omnino esse ab illis erroribus, quos, ne penitus in sententiam nostram eant, nobisque per omnia se coniungant, in causa esse atque interpellare adseuerant. Quid enim in hoc dogmate ipsos amplius a nobis auertet, quos in capite fidei momenti maximi rectissime sentire constat? Quodsi & illis licet in nos coniiicere foedissimum nomen, nosque in inuidiam ecclesiae christianae adducere, quippeni aequum sit, criminationes iniustissimas a nobis propulsare? Ita autem orationis genus temperabimus, vt memores simus, nobis christianis aduersus christianos de grauisimo argumento disceptandum esse, quod non probrosis verborum contumeliis; sed rationum inuicta veritate ponderandum est: & non laudi ex victoria, sed veritati disputationem istam niti debere. Adnitemur itaque, vt *conuicii amarissimam labem*, vt ait Octavianus apud Minutium\* pro re christiana peroraturus, *verborum veracium flumine diluamus*. Quod vt non sine fructu fiat, Deum, cuius causam agimus, ardentissimis precibus inuocamus. De cetero patiemur libenter, vt, quisquis lectorum incidat in Diatribam istam, religiosi fungatur iudicis officio.

\* Cap. XV. p. m. 129.



DISSERTATIONIS TOTIVS SVMMARIVM.

- §. I. *Reformati reos nos faciunt Pelagianismi primum, ob adfertam gratiae diuinae vniuersalitatem.*
- §. II. *Deinde, ob dogma de praedestinatione ex fide praevisa.*
- §. III. *Pelagii & Semi-Pelagianorum errores quinam fuerint?*
- §. IV. *Vndenam cognoscatur, aliquid esse vel non esse Pelagianum?*
- §. V. *Non esse Pelagianum gratiae vniuersalitatem docere, probatur.*
- §. VI. *Respondetur argumentis in contrarium.*
- §. VII. *Lutherani non consentiunt cum Pelagio in doctrina de praedestinatione.*
- §. VIII. *Doctrinae orthodoxae expositio.*
- §. IX. *Rationes pro nostra doctrina primum ex scriptura & fidei analogia.*
- §. X. *Ex Patribus Ecclesiae.*
- §. XI. *Refutantur Reformatorum contra nos exceptiones.*
- §. XII. *Nostram & Pelagianorum sententiam distare quam maxime, figura aliqua ostenditur.*
- §. XIII. *Refellitur aduersariorum contra nos argumentum primum.*
- §. XIV. *Argumentum secundum.*
- §. XV. *Argumentum tertium.*
- §. XVI. *Argumentum quartum.*
- §. XVII. *Argumentum quintum.*
- §. XVIII. *Aduersariorum ipsorum pro nobis testimonia, Spanhemii, Iurii, Velibuyssii.*
- §. XIX. *Comparatio nostrae & Reformatorum doctrinae.*
- §. XX. *Vfus hactenus disputatorum.*
- §. XXI. *Pelagianismi in ipsos Reformatos retorsio.*

A §. I. Vc

## §. I.

**V**T igitur hinc actionem grauiſſimae diſputationis ingrediamur, neminem rerum theologicarum peritum fugit, duo imprimis eſſe capita, circa quae nobis in ſalutis humanae negotio cum Reformatis pugnandum eſt, quorum vnum gratiae Dei, quam dicimus eſſe vniuerſalem; alterum vero electione, quae eſt ex praeuiſa fide, continetur. Conſitemur enim & vrgemus, indubitatis ſcripturae teſtimoniis innixi, propenſam eſſe in omnes homines Dei voluntatem, vt omnes vehementer cupiat ſaluari. *I. Tim. II, 4.* neminemque aeternis in inferno cruciatibus addici, *II. Pet. III, 9.* Pari ratione etiam credimus, illos tantum ad ſalutem a Deo fuiſſe exceptos, quos fide perſeuerante praeuidit oblatam in Chriſto gratiam fore amplexuros. Dogmata vti- que, vti in ſe veriſſima, & diuina probitate atque ſapientia praefertim digna; ita conſolationis in conterritas tentationibus mentes fertiliffima. Atque propter haec incuſamur vulgo a Reformatis Pelagianismi. Adeſte itaque aduerſarii atque audiamini, vt ſciamus ſcilicet, quibus cum accuſatoribus, tam diri criminis nos reos pronunciantibus, nobis res futura ſit impoſterum. Nec tamen longius abeundum eſt; adſunt enim magna confidentia; ſed quonam ſucceſſu, paulo poſt euadet manifeſtum. Accuſant nos Pelagianismi, quod gratiam aliquam vniuerſalem ſtatuamus. Adeſt THEODORVS BEZA, (a) qui in Pauli locum, pro nobis paulo ante adnotatum, ita commentatur. *Qui hoc Pauli dictum ad ſingulos homines contendunt pertinere, (id quod Lutheranos facere in propatulo eſt,) huc delabantur neceſſe eſt, vt vel Pelagianum arbitrium hominis, vel vniuerſalem (id eſt*

(a) in *I. Tim. II, 4. p. m. 223.*

ad singulos homines pertinentem) gratiam statuunt. Pelagianum arbitrium voco, non quod sit spontaneum; (ita enim concedo;) sed quod in utramvis partem sua sponte sine gratia fieri possit. Hoc igitur qui constituunt, vel Pelagiani sunt, si naturalem faciant gratiam: vel Semi-Pelagiani, si cum natura faciant concurrere gratiam, quae infirmam naturam adiuuet. Cum neutris vero mihi quisquam negotiū esse volo. Sin vero gratiam quandam vniuersalem statuas ad singulos pertinentem, quaero, quam gratiam intelligas? Nam de gratia hic agimus, quae ad Christum ducit, extra quem non est salus: quam si cui negat, alicui concedit Deus, gratia illa vniuersalis hoc ipso tollitur: sin vero gustum ejus aliquem singulis tribui dicamus, primum omnium ipsa omnium seculorum experientia falsum id esse coarguit. Adest MARCVS FRIDERICVS WENDELINVS, (b) cuius hoc est contra nos decretum: Vniuersalis sufficiens gratia, (qualem nos propugnare constat) omnibus & singulis hominibus communis, tantum est ~~omnis~~ <sup>omnis</sup> Pelagianae turpitudinis, gratiam quae arbitrii liberi facit famulam. Et hominum discretionem non ex Deo, sed ex arbitrio hominis deducit, adeo ut non tam sit misericentis Dei, quam volentis & currentis arbitrii humani. Adest FRIDERICVS SPANHEMIVS, (c) qui Exercitatione de gratia vniuersali, Pelagianum esse adserit pluribus; pluribusque euincere connititur, Paulinam illam sententiam *I. Tim. II, 4.* ad stabiliendam vniuersalitatē misericordiae diuinæ adhibere, quae tamen quam dextre praestiterit, inferius demonstrandi dabitur occasio. Nec opus vero est alios adhuc allegare; cum hi sint ex praecipuis, & plures passim se offerant ex aduersariis, contra Arminia-

A 2 nos,

(b) *Syst. Theol. Mai. lib. I. cap. III. p. m. 270.* (c) *Exercit. de gratia vniuersal. tom. I. p. m. 49. seq.*

nos, hac parte pro veritate nobiscum stantes, in pugnam progressi.

§. II. Audiendi & illi sunt, qui propter sententiam de praedestinatione ex fide praeuisa Pelagianismi notam nobis inurunt. Audiamus igitur iterum BEZAM, (d) qui, cum praescientiam in loco nobilissimo Pauli Rom. VIII, 29. explicaret de aliquo decreto; addit statim: *Itaque omnia peruertunt Pelagiani, qui praeuisam fidem (id vero & nos facimus) vel bona opera faciunt decreti electionis causam; Et paulo post grauius adhuc in innocentes inuehitur: Qui vero, inquit, praescientiam interpretantur, & hoc nomen referunt ad qualitates in hominibus praeuisas, quibus Dominus ad eligendum vel reprobandum ducatur, puta, fidem vel incredulitatem, perseuerantiam aut defectionem, bona vel mala opera, illi norint, se ita esse ineptos & imperitos, ut ne refutatione quidem indigeant.* Audiatur iterum WENDELINVS, (e) cuius imprimis hic adparet in nobis accusandis solertia: ita vero inquit: *Fidem, ut fuit in aeterna praedestinantis notitia, ordine priorem fuisse electione & causam electionis, longe falsissimum est, nec a quoquam nisi Pelagiano haberi pro vero potest.* Sed hoc negotium agit prolixissime in Vindiciis Theologiae christianae contra Io. Gerhardum, Theologum beatissimum, disputans. Denique, ut Theologi Britanni huius ipsius haeresios nos reos constituent, ita in synodo Dordracena (f) concludunt: *Pari ratione ab electione est excludenda fides, qua praeuisa opera: Aequae scilicet dici poterit Deus elegisse sanctos propter conditionem sanctificationis annexam, ac creden-*

(d) in Rom. IIX, 29. p. m. 57. (e) Syst. Mai. lib. I. cap. III. S. 12. p. m. 273. Christian. Theolog. lib. I. cap. III. p. m. 159. Exerc. IIX. §. 10. seq. p. 69. (f) vid. Act. p. m. 495.

tes propter conditionem fidei. Plurium accusationes reperiuntur passim, quarum aliquas adhuc collegit Theologus meritisimus, NICOLAUS HVNNIVS. (g)

§. III. Sic ergo dica grauiissimi erroris nobis scribitur, cui quid veri subfit, discutiendum nunc est vberius; & expediendae porro sunt rationes, quibus ab intentato crimine liberemur. Nam si accusasse sufficit, quis erit innocens? Vt vero recte haec instituaturs defensio, ante omnia, quid Pelagius statuerit, quo haereticus dici meritus est, accurate definiendum erit. Pelagius ergo, oriundus non ex Scotia, qua in sententia cum aliis fuit olim IO. GERHARDVS VOSSIVS, (b) sed, quod multis docet HENRICVS NORISIVS, (i) ex Britannia circa annum a Christo nato ccccv. in occidente, magna quamuis sanctimoniae atque pietatis opinione, errores ingentes dispergere coepit, quibus profligandis duo ecclesiae praeclarissima lumina, Augustinum dico atque Hieronymum, id quod in vulgus est notissimum, acerrimam, qua pollebant, ingenii vim operamque ecclesiae vtilissimam insumpserunt. Contendebat autem, vt Pelagianae haeresios summam hic delineemus, naturam hominis nullo genialis culpa vitio, quod peccatum originale Theologorum scholae efferunt, corruptam atque debilitatam esse; sed integram ex sese ac natiuis iisque illibatis polentem viribus, vt non minus ad bene agendum suoapte Marte atque indole eniti possit, quam in malum inclinetur. Inde vtique consentaneum erat docere, nullis hominem gratiae praesidiis indigere atque medicina nulla; nec opus esse voluntati nostrae ad honestatis adpetitionem ullis adminiculis, quibus discussa omni aegritudine, vt quam nullam plane

A 3

ne

(g) in Διασκέψεις p. 339. (b) Hist. Pelag. lib. I. cap. III. p. m. 5.  
(i) Hist. Pelag. lib. I. cap. III. p. m. 13.



ne adesse sciscebat, illius sustentetur corroboreturque infirmitas. Quamobrem solidam aliquam bene volendi pariter atque agendi a natura nobis inesse arbitrabatur, ut loquebantur, *possibilitatem*; quam quidem accedens qualiscunque Christi gratia aliquantisper adiuuaret, non quidem, ut possit omnino, quod absque eius adiumento non posset; sed ut facilius ageret. Negabat ergo Pelagius gratiae necessitatem, non quidem, ut remittantur peccata, quae commissa fuerant, hactenus enim eandem necessariam esse agnoscebat; sed eum in finem, ut a nobis praestentur, quae praestare iuxta diuinam voluntatem oporteat. Sed historiam Pelagii Pelagique dogmatum breuiter, at accurate satis delineat Theologus meritis omnino venerandus, MARTINVS CHEMNITIVS, (k) quem lector poterit inspicere. Hos vero, quos recensuimus, circa doctrinam de gratia diuina interna fuisse Pelagii errores, edocent nos Canones in primis III. IV. & V. synodi Mileuitanae, quos ipsa Pelagio eiusque adseclis directe opposuit. Damnat enim canone III. hoc dogma: *Gratiam Dei, qua iustificamur, ad solam remissionem valere peccatorum, quae commissa sunt, non etiam in adiutorium, ut non committantur.* Canone IV. proferibit hoc dogma: *ad scientiam nos habere gratiam Christi; ad charitatem non habere.* Canone denique V. *gratiam dari iustificationis, ut quod facere iubemur per liberum arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa diuina implere mandata.* Sed & AVGVSTINVS (l) testatur, tria quam maxime contra Pelagianos defendere catholicam ecclesiam, quorum primum

(k) *Loc. Theolog. part. I. cap. IIX. p. 498.* (l) *De Bono Perseu. cap. II. p. m. 655.*

mum ad gratiam pertinet; alterum ad imperfectam huius  
 vitae sanctitatem; tertium denique ad reatum illum origi-  
 nalem. Videamus vero etiam, *quid statuisse dicentur Mas-*  
*silienses illi*, quos *Semi-Pelagianos* vocare solemne est. (m)  
 Inter illos praecipui fuerunt Io. Cassianus, Faustus Regien-  
 sis, Vicentius Lirinensis, atque Gennadius; eo autem repre-  
 hensionem incurrunt nomine, quod naturae viribus, ante-  
 quam a gratia diuina excitentur, competere posse adfirma-  
 uerint desiderium regenerationis & fidei, quod non est aliud  
 nisi fidei quoddam initium. Nouam hoc commentum  
 quaestionem AVGVSTINVS (n) nominat: dicitque in eo situm  
 esse, ut concedatur quidem ab ipsis, Dei donum esse incre-  
 mentum fidei; quod in Christum primitus creditur, ab ho-  
 mine ipso esse, nec esse donum Dei; qui error a concilio  
 II. Araucano (o) profligatur. Errare enim decernit, *si quis*  
*inuocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non*  
*autem ipsam gratiam facere, ut inuocetur a nobis: Si quis,*  
*sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credu-*  
*litatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impi-*  
*um, & ad regenerationis baptisma venimus, non per gra-*  
*tiae donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corri-*  
*gentis voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impie-*  
*tate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse, dicit: Si quis*  
*sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus,*  
*conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, pe-*  
*nitentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam di-*  
*cit conferri diuinitus.*

§. IV. Quae senserit igitur Pelagius, in negotio de sa-  
 lute

(m) vid. VOSSIVS *Histor. Pelag. lib. I. cap. VII. IIX. IX. X. p.*  
*m. 28. seqq.* (n) *De Praedest. Sanct. lib. I. cap. XXI. p. m. 651.*  
 (o) *can. III. V. VI. p. m. 812. 813.*

lute nostra, vna cum Semi-Pelagianis, ex istis, quae iam diximus, manifestum est: e re vero est vel praecipue, vt explorare habeamus cognitum; quidnam sit proprie Pelagianum, qui sint errores illi, ob quos Pelagius cum suis haereticorum catalogo legantur inserti? Hoc certe monendum est ante omnia, non statim Pelagianismum esse, si quid forsitan vel ipse Pelagius, vel qui Pelagii sequuntur partes, dixerint aut scripserint. Quam multa enim sunt, quae haeretici cum recte sentientibus habent communia? cum nullus illorum a veritate tam longe recesserit, vt non multa eiusdem capita retinuerit. Hoc est, quod adserit CTRILLVS (p) ille Alexandrinus; *ὄν πάντα, inquiring, ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ Φεύγειν καὶ παραίειναι καὶ χεῖν, πολλὰ γὰρ ὁμολογοῦσιν, ἂν καὶ ἡμεῖς ὁμολογοῦμεν.* Non omnia, quae dicunt haeretici, fugere ac repudiare oportet; multa enim confitentur, quae & nos confitemur. Quam multa sunt, quae Augustinus Pelagio ambabus concedit manibus? Atque ipse *Fidei Libellus*, qui Pelagii foetus est, eiusmodi consignatus erat verborum formula, vt pro HIERONTMI (q) opere olim lectus fuerit, & adhuc hodie legatur; totus siquidem a Concilii Francofurtensis Patribus capitulari de non adorandis imaginibus insertus est, adnotante eruditissimo GVILIELMO CAVIO. (r) Videlicet Pelagius ipse & eius discipuli verissima subinde confessi sunt, multo quoque sibi inter disputandum sumserunt, quae essent vero maxime consentanea, etiamsi quod colligere exinde studebant, falsissimum esset. Certa itaque necesse est adesse criteria, vnde aliquid Pelagianum esse, vel non esse, adpareat. Vbi quidem non inepte ab HVGONE GROTIIO (s) esse

(p) apud Photium Bibliothec. Cod. CCXXX. p. m. 444.  
 (q) Tom. IV. p. m. 98. (r) *Histor. Litterar.* p. m. 290. (s) *De Dogm. Pelag.* p. m. 17.

esse pronuntiatum iudicamus, Pelagianum non esse, primo, si legantur canones conscripti aduersus dogmata Pelagiana, in quibus quod Pelagianismi accusatur, non inuenitur damnatum. Deinde, si ostendatur, quod vti Pelagianum traducitur, a sanctis scriptoribus ante Augustini tempora fuisse traditum: quippe cum Pelagii aduersarii in ore frequenter haberent nouitatem, Pelagianismum sane non sapere potest, quod vetus est. Postremum, si qui Pelagii acerrimi fuerunt aduersarii, ea fenserint, ea docuerint, quibus Pelagianismi notam nunc inscribunt. Nam in Pelagianismi societatem quomodo compingi possunt, quorum opera Pelagiana haeresis confossa iacet & exspirauit? Vnde e contrario consequitur, id demum pro Pelagiano errore esse habendum, quod in synodis atque conciliis contra eundem institutis reprobatum, atque vt nouiter ab ipso inuentum, reiectum est.

§. V. Ex his, quae posita iam sunt, facile constabit, quam nihil eorum, quae a nobis docentur, in Pelagianismi suspicionem iure adduci possit. Statuimus enimvero gratiam vniuersalem in vniuersos & singulos hominum sese beneuole dispensantem; sed qua fronte in tam salutarem doctrinam haeresios probrum coniici potest? Nec enim primus fuit Pelagius, qui ita doceret, nec vnquam ista a conuentibus illis sacris in Pelagio damnata est sententia; & tot locis adfirmat scriptura, sinceram Dei voluntatem in omnium hominum ferri salutem, negat autem velle Deum, vt vllus pereat; & vtrumque quidem verbis simplicissimis, ab ambiguitate omni alienis, maximeque perspicuis, nec factis & natis, vt aliter intelligantur, quam super illa intellectus humanus cadere solet; quod manifestissimum est insipientibus, *Ezech. XIII, 23. XXXIII, 32, 33. Matth. XI, 28, 29.*

B

Iob.

*Iob. I, 9. Rom. XI, 32. I. Tim. II, 4. II. Pet. III, 9. & loca longe plura alia, quorum qua ratione concludat plurima pars, operae pretium est videre apud IO. HVLSEMANNVM. (t) Quid de patrum consensu dicamus, tum eorum, qui ante motam cum Pelagio controuersiam scripserunt, tum qui postea fuerunt? is vero tantus est, vt pudorem exuisse videatur, qui rem in dubitationem adhuc velit reuocare. Adferam vnum & alterum ex celeberrimis ecclesiae doctores testimonium, prout sese ad manus dabunt olim obseruata. Sic vero scribit CLEMENS ALEXANDRINVS: (u) θεός δὲ καὶ πάντων πάντων ἀναίτιος, θεός γὰρ τὴν τῶ ὅλων σωτηρίαν τῶ πῶ ὅλων κυρίῳ πάντα θεῖ διατεταγμένα, καὶ καθόλου καὶ ὅπῃ μέρους. Deus vero nulla ratione fuit auctor & causa mali: ad vniuersi enim salutem ab eo, qui est vniuersorum Dominus, omnia sunt ordinata, & vniuersae & sigillatim. Qui & paulo ante scripserat, Christum vniuerso mortalium generi salutem comparasse; illustris est locus, vt mereatur adferri: (x) Πῶς ὁ αὖν θεῖ σωτὴρ καὶ κύριος, εἰ μὴ πάντων σωτὴρ καὶ κύριος; ἀλλὰ τῶν μὲν πεπιστευκότων σωτὴρ, διὰ τὸ γινώσκειν βεβηλῆσθαι. τῶν δὲ ἀπειθεσάντων κύριος, ἐς αὖν ἐξομολογήσασθαι δυναθέντες, δικίας καὶ καταλλήλης τῆς δι' αὐτὸ τύχῳσιν εὐεργεσίας. πᾶσα δὲ ἡ τῶ κυρίου ἐνέργεια ὅπῃ τὸν παντοκράτορα τὴν ἀνοφορὰν ἔχει, καὶ ἔστιν, ὡς εἶπεν, πατρικὴ τις ἐνέργεια ὁ ὕψος. Οὐκ ἂν ἔν ποτε ὁ σωτὴρ μισάνθρωπος. ὅς γε διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν Φιλανθρωπίαν, σαρκὸς ἀνθρώπινης εὐπάθειαν ἔχ. ὑπεριδῶν, ἀλλ' ἐνδυσάμενος, ἐπὶ τὴν κοινὴν τῶν ἀνθρώπων ἐλήλυθεν σωτηρία. Quomodo autem est Servator & Dominus, si non est omnium Servator & Dominus? Sed est quidem Servator eorum, qui crediderunt, propterea quod scire voluerint: eorum autem, qui non crediderunt, est Dominus, si cum potuerint confiteri*

(t) De Auxiliis gratia cap. I. de vniuers. vocat. S. 4. p. 88.  
 (u) Lib. VII. Strom. p. m. 705. (x) Lib. VII. Strom. p. m. 703.

fiteri, propriam & eis conuenientem acceperint beneficenti-  
 am. Omnis autem Domini operatio relationem habet ad  
 omnipotentem, & est filius paterna quaedam, ut ita dicam,  
 operatio. Nunquam ergo Seruator habet odio homines, qui  
 etiam propter suam excellentem benignitatem, & in homines  
 charitatem, non despecta carnis humanae imbecillitate, sed  
 ea indutus ad communem venit hominum salutem. Pulchre  
 vero imprimis MACARIVS (γ) noster, ὡς περ οἱ πατέρες ἔποι,  
 εἰάν μὴ γενήσῃσι, λυπῶνται, ἄσως καὶ κύρι· ἀγαπήσας τὸ γέ-  
 νος τῶν ἀνθρώπων ὡς ἰδίαν εἰκόνα, ἠθέλησεν αὐτὸς ἐκ τῶν αὐτῶν  
 σπέρματι γενήσασθαι τῆς θεότητος. Εἰ τινας ἔν μὴ θελήσωσιν εἰς  
 πατρὸς τὴν γέννησιν εἰσελθεῖν, καὶ ἐκ τῆς γαστρὸς τοῦ πνεύματος τῆς  
 θεότητος γεννηθῆναι, πολλὴν λύπην ὁ Χριστὸς ἀναδέχεται, παθὼν  
 δι' αὐτὸς καὶ ὑπομείνας, ἵνα τῶν αὐτῶν σωθῇ. Πάντας γὰρ ἀνθρώ-  
 πους θέλει ὁ Κύριος τῆς γενήσεως καταξιαθῆναι ταύτης, ὑπὲρ  
 πάντων γὰρ ἀπέθανε, καὶ πάντας εἰς ζωὴν ἐκάλεσε. Quem-  
 admodum patres hi, nisi genuerint, tristitia & dolore adfi-  
 ciuntur: eodem modo Dominus, qui dilexit genus hominum,  
 ut propriam imaginem, voluit eos ex ipso semine diuino pro-  
 creare. Si qui ergo renuerint ad huiusmodi generationem  
 venire, & de ventre Spiritus diuini nasci, summum dolorem  
 suscipit Christus, qui propter eos passus est, ac pertulit, ut  
 eos seruaret. Omnes enim homines vult Deus hanc nativi-  
 tatem consequi: pro omnibus siquidem mortuus est, & omnes  
 ad vitam vocauit. Audiamus & aliquos in ecclesia Latina.  
 Quid poterat vero clarius esse his sancti patris HIERONIMI (z)  
 verbis? Quod si prudens lector tacita cogitatione responde-  
 rit, quare multi non sunt saluati, si ipse saluauit eos & di-  
 lexit & pepercit filiis suis, & redemit eos sanguine suo, susce-  
 pitque & exaltauit assumptos? infertur causa perspicua, ipsi  
 autem non crediderunt, & exacerbarunt Spiritum Sanctum

B 2

eius

(γ) Homil. XXX. p. m. 397. seq. (z) In Ios. LIII.

eius. Et paucis interiectis pergit: *Voluit itaque Deus saluare cupientes, & prouocauit ad salutem, vt voluntas haberet proemium. Sed illi credere noluerunt. Et iterum post aliqua: Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt; Sed voluntas venientis haec fuit, vt omnes crederent & saluarentur.* Suppeditet nobis aliquid de suo etiam PAVLVS OROSIVS, vir in profanis & diuinis litteris eruditissimus. Ita vero ille in Apologia (a) de arbitrii libertate. *Quantum ergo de Dei adiutorio gaudeam, per id metire, quod ministrari per singula etiam gentibus probo. Et: (b) Mea semper est fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est ecclesia, cui specialia ob creditium fidem gratiae suae dona largitur; verum etiam vniuersis in hoc mundo gentibus propter longanimitatem sui aeternamque clementiam subministrare, non vt tu adseris cum discipulo tuo Coelestis, cui iam apud Africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuersis vnanimam gratiam contributam: sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per aetates & cunctis & singulis ministrare.* Non est vero necesse plura addi, cum Viri doctissimi singulari industria ingentem testimoniorum de vniuersali Dei gratia, omnium hominum salutem ardentem anhelantis, cumulum colligere pridem curae cordique haberint, non ex nostris tantum, quos inter HVLSEMANNVS (c) eminent; sed ex illis partibus, quae a nobis separatae, in diuersa abeunt, ex quibus sane VOSSIVS (d) atque PETAVIVS inter primos numerari merentur. Et quid? nonne ex ipsis illis, quibus cum nobis nunc est disceptatio, integris nonnulli pene

(a) p. m. 724. (b) pag. 723. (c) De Auxiliis gratiae p. m. 90. 99. (d) Hist. Pelag. lib. VI. p. I. th. II. p. m. 633.

pene id egerunt voluminibus, vt gratiae vniuersalitem pe-  
titis ex antiquitate auctoritatibus idoneis adstruerent. Egit  
id vir eruditissimus, & in monumentis patrum ecclesiae, si  
quisquam, versatissimus, IO. DALLAEVS, (e) cuius eximi-  
am Apologiam vna cum Vindiciis, olim a nobis singulari  
cum animi voluptate perlustratam; non possumus non vni-  
uersalis Dei in homines gratiae aduersariis commendare,  
cum vix causa nostra melius potuisset perorari.

§. VI. Atqui vt persuadeat nobis SPANHEMVS, (f)  
Pelagianos iam olim ad vniuersalitem misericordiae diui-  
nae stabiliendam abusos fuisse loco Apostoli II. Tim. II. 4.  
ad AVGVSTINVM (g) prouocat, contra Iulianum disputantem,  
eo loco, vbi pluribus expositionem istam confutet. Sic &  
in Enchiridio (b) ad Laurentium eundem locum ab inter-  
pretatione Pelagiana Hipponensem praesulem vindicare.  
Sed AVGVSTINVM quidem in disputatione cum aduersa-  
riis quid vetat aliquando ea in subsidium adhibuisse, quae  
vera non sunt, aut si vera sint, non tamen in eorum censu  
habeantur, quae omnibus & singulis hominibus ad salutem  
sunt necessaria, vel esse a seculi illius doctoribus habebantur?  
Constet igitur inde, Augustinum negasse, Deum non omnes  
homines saluos velle, quod adfirmauerit Iulianus; quam re-  
cte vero vterque senserit, & quod Pelagianum posterius sit,  
id vero exinde confici non potest. Sane vero in nullo mo-  
numentorum veterum, quo sententia ecclesiae continetur,  
obiectari videas Pelagio, quod Deum existimauerit omni-  
um hominum concupiscere salutem. Ecquis vero putauit,  
sanctos patres, hoc ipsius placitum, si a fide catholica

B 3

abhor-

(e) *Apol. contra Spanhem. p. IV. pag. 753.* (f) *Exercit. part. I. pag. m. 49.* (g) *Contra Iulian. l. IV. cap. IIX. pag. m. 204.*  
(b) *c. CIII. p. m. 288.*



abhorrere credidissent, inter reliquos ipsius errores non fuisse collocaturos? Et tamen, si locus ex Augustino a Spanhemio allatus introspectatur penitius, liquido falsa esse adparebit, quae de Iuliani conatu ad vniuersalitatem misericordiae diuinæ confirmandam eo abutentis, comminiscitur. Vt enim non dicamus, Pelagium si dogmati suo congrue atque constanter loqui voluisset, ne quidem misericordiam vniuersalem statuere potuisse, quippe qui infantes omnes & ex adultis quoque quam plurimos peccati esse expertes arbitratus, misericordiae vniuersalitatē potius sustulit, utpote quae non nisi in peccatorem esse potest. Illud certe patet ex disputatione Augustini cum Iuliano, eum in finem locum illum esse a Iuliano allatum, ut merita constitueret gratiae praecedentia, ut his meritis illa debita reddatur, ac gratia non nisi merum sit vocabulum, re ipsa vacuum. Sed Augustini & Pelagianorum mentem pluribus circa hoc caput excussit is, quem antea nominare iuuat, IO. DALLAEVS. (i) Et praeterea hic ut breuiores simus, nuper admodum effecit, COELESTINVS SFONDRA TI, (k) Romanae ecclesiae cardinalis, qui pro eruditione, qua ipsum certum est polluisse singulari, totum hoc argumentum exhaurire voluit, ostendens dilucide, *seriam esse in Deo, impensamque, & quantum ex se est, efficacissimam voluntatem saluandi omnes*, idque rationibus ex scriptura, sanctis patribus, mysteriis attributisque diuinis & aliunde undecunque petitis; Pelagianismi notam etiam solerter ab isto dogmate abstergens. Quod insigne opusculum, cum nescio cui in Gallia Abbati, (l) scribenti ad amicum epistolam, arroderet, auctoremque Pelagia-

(i) *Apol. part. IV. p. m. 577.* (k) *Nod. Praed. part. I. S. I. n. 2. p. m. 9. seq.* (l) *n. 16. pag. 54. Lettres historiques Mart. 1698. p. m. 248.*

lagianum facere libuerit, in eo quidem, quam Iansenismi fit strenuus defensor, quamque in Sfondratum animo infenso sit, luculenter adparet; quam vero rationibus eius satisfecerit, exinde non perinde elucet.

§. VII. Incumbit itaque diuina beneuolentia in hominum omnium salutem; & voluntate ipsorum fit mortalium, quod non saluentur; nec qui hoc adseuerauerit, continuo Pelagianismi veneno est afflatus. Consequens nunc est, vt ex altero illo capite Pelagianismum a nobis depellamus; cuius ob praedestinationem ex fide in nobis a Deo praeuisa, quam adstruimus, nos labe adspargere conuictur. Sed aequae, vt in antecedentibus, iniquissime. Res fiet manifestissima, si quaenam circa hanc religionis partem sententia Pelagio federit, repetamus. Haec vero erant illius primaria placita; primo quidem hominem solis naturae viribus seruare posse legem totam, iustificari, perseuerare, vitamque aeternam consequi; deinde gratiam Iesu Christi internam excitantem atque adiuuantem nullam requiri; sed sufficere arbitrii libertatem, legem, doctrinam & exemplum; postremo si vel maxime detur gratia, eam dari ex meritis, id est, vt alias sese explicabat, ex recto & bono liberi arbitrii usu. At vero qua in re conuenit quaeso hic nobiscum Pelagio? Et anne tam parum versati sunt in monumentis nostrorum, ii, contra quos disputandum hic nobis est, vt quam valde a Pelagii mente dissideat nostrum dogma, non peruideant? Id si ignorant, rogamus ipsos, vt doctrinam publicam, quae viget in ecclesiis nostris, pensculatius considerent. *Credimus, ita se habet nostra Confessio, (m) quantum abest, vt corpus mortuum seipsum viuificare, at-*  
*que*

(m) Formul. Conc. p. m. 577.

que sibi ipsi corporalem vitam restituere possit, tantum abesse, ut homo, qui ratione peccati spiritualiter mortuus est, se ipsum in vitam spiritualem reuocandi ullam facultatem habeat, sicut scriptum est: Cum essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos cum Christo. *Eph. II, 1, 2.* Haec ubi confessi sumus, paulo post subiungimus: Repudiamus etiam crassum illum Pelagianorum errorem, qui adserere non dubitarunt, quod homo propriis viribus, sine gratia Spiritus sancti sese ad Deum conuertere, euangelio credere, legi diuinae ex animo parere, & hac ratione peccatorum remissionem ac vitam aeternam ipse promereri valeat. Praeter hos errores reiicimus & Semipelagianorum falsum dogma, qui docent, hominem propriis viribus inchoare posse suam conuersionem: absolueri autem sine Spiritus sancti gratia non posse. Et ut propius ad locum de praedestinatione accedamus, expresse dicimus, (n) reiicere nos errorem, quod non sola DEI misericordia, & sanctissimum Christi meritum, sed etiam in nobis ipsis aliqua causa sit electionis diuinae, cuius causae ratione Deus nos ad vitam aeternam elegerit. Quid vero disertius adhuc dici possit? Egregie enim praedestinationis doctrina articulum iustificationis confirmat: quod videlicet gratuito, sine omnibus operibus & meritis nostris, ex mera gratia propter solum Christum iustificemur atque saluemur. Ante secula enim huius mundi, priusquam in rerum natura essemus, immo antequam mundi fundamenta iacerentur; cum quidem nihil boni agere adhuc poteramus; secundum propositum Dei, in Christo, ad aeternam salutem electi sumus: Hac etiam doctrina omnes falsae opinioniones & errores de viribus naturalis nostri arbitrii, euertuntur; quia manifestum

(n) pag. 621.

festum est, quod Deus in suo consilio ante mundi secula decreverit atque ordinarit, quod omnia, quae ad conversionem nostram pertinent, ipse virtute Spiritus sui sancti (per verbum) in nobis efficere & operari velit. Ista si nondum sufficiunt, confitemur, nos amplecti toto animo, quod pia circa salutis nostrae opus credidit antiquitas. Nostra facimus verba FVLGENTII, (o) Episcopi Ruspensis; Eadem, dicens, est operatio gratiae, quae meritum hominis bonum & initiat ad iustitiam, & consummat ad gloriam: primo inchoans in homine voluntatem bonam; deinde eandem voluntatem adiuuans inchoatam: ut eadem voluntas, & diuino dono bona sit; & diuino adiutorio, malam superare concupiscentiam possit; & Deo perficiente, talis postmodum ipsa voluntas sit, ut malam concupiscentiam habere non possit: ac sic in praesenti vita, gratiae adiutorio, infirmitati non cedat; in futura autem, gratiae beneficio, infirmitatem non habeat, & nunc recreetur continuo iuuamine medicaminis; tunc vero fruatur aeterna plenitudine sanitatis. Haec autem Deus, sicut in praedestinatione semper habuit: sic per gratiam, sicut praedestinaverat, facit. Quid requirent a nobis amplius?

§. IIX. Ut vero de tota re iudicari possit rectius, haud erit praeter rem succinctis sententiam nostram propositam verbis, hic cognoscere. Haec ergo nostra de hominum salute, reuelationi diuinae quam maxime congrua, mens est. Decreuerat diuinum Numen, ut & extra se in rebus a se conditis deliciaretur, & ut separatim homines suae bonitatis faceret participes, condere creaturas ratione praeditas, & inter has quoque hominem: cumque praenideret,

C

ret,

(o) De Praedest. ad Mon. lib. I. p. m. 253.

ret, eundem libertate sua male vtentem fore lapsurum, decreuit misericordia sua inductus genus hominum aeternis cruciatibus obnoxium liberare, atque aeternum saluum facere; idque intercedente plenissima Filii vnigeniti satisfactione pro singulis praestanda. Decreuit insuper redemptionem pretioso filii sanguine factam ope ministrorum suorum omnium notitiae insinuare, hoc consilio, vt si quis non vacillante animi fiducia in oblatam salutem incumbere, vocationique diuinae obtemperaret, is vero ad aeternae felicitatis vsuram perueniret; quam in rem constituit vnicique, ex se plane ad efficiendam suam beatitatem inepto, vires, per media eam in rem ordinata, elargiri; praeuidit vero, vt praeuidet omnia, quinam vel accepturi oblatam gratiam sint, vel repudiaturi; quos accepturos praeuidit, eos peculiari delectatione complecti statuit, dilectosque ad aeternam salutem seposuit, id quod *praedestinationem* dicimus, reliquos, quos praecognouit fore vocanti immorigeros, & praefracae beatitudinem suam reiecturos, quamuis & ipse eos gratia adeo non praeterierit, vt potius ad poenitentiam ducere bonitate sua constituerit, non tamen ob hanc ipsorum inobedientiam saluti, sed damnationi adiudicauit, id quod nobis est *reprobatio*. Hunc vero consiliorum Dei ordinem in signo rationis diuinae, vt in scholis loquuntur, & iuxta nostrum concipiendi modum, esse, patet ex ipso euentu, vnde de hac re optime existimari potest. (p) Quid est amabo, quod in hac doctrina sapiat pelagianismum? nonne enim docemus a Deo esse salutis nostrae initium? & nihil esse in nobis, quod a diuina gratia non primum prodierit? Certe

(p) ALBERTI *Interesse Relig. Art. V. §. II. p. m. 269.*

Certe constantissima nostra est doctrina, factam fuisse praedestinationem ex mera gratia, cui opponatur omne nostrum opus, omnis nostra actio, siue viribus naturae sibi relictae; siue per gratiae adiumentum fuerit edita; etiam fides ipsa, si spectetur tanquam conditio magis vel minus digna, siue per se siue ex aestimio per voluntatem Dei fidei super addito; vt HVLSEMANNVS (q) noster loquitur; vel etiam vt DANHAVERVS, (r) Theologus spectatae inter nos auctoritatis, pulchre mentem nostram explicat; non pendere praedestinationem ab opere aliquo, merito, motiuo nostro ex nobis, per nos in nobis inhaerente, propter quod electio facta sit; non a fide, qua opus est, aut fidei fructus; sic enim & nos dicere electionis decretum mere esse gratuitum.

§. IX. Nec tamen minus recte decernimus, secundum fidem praeuisam a Deo factam esse nostram ad salutem electionem. Idne potest reuocari in dubium? & ab illis quidem, qui praedestinationem nostram factam esse ex praecognitione toties legunt in sacris litteris. Quorum haec sunt oracula. *ὅς προέγνω καὶ προώρεσε, συμμόρφως τῆς εἰκῶν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.* Quos praecognouit, etiam praedestinauit conformes (ieri) imaginis filii sui. Rom. IIX, 29. *Ὁὐκ ἀπίστωτο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω.* Non reprobauit Deus populum suum, quem praesciuit: Rom. XI, 2. Ita Petrus scilicet, *ἐκλεκτοῖς παρεπεδήμοις κατὰ πρόγνωσιν.* Electis iuxta praecognitionem. 1. Petr. 1. Si ergo electi sunt homines secundum praescientiam Dei Patris, necesse est, vt Deus ab aeterno homines eligendos

C 2

prae-

(q) *Brevia*, cap. XV. §. 6. p. m. 407. (r) *Hodosoph. pbaenom.* VII. p. m. 576.

praeuiderit. Quod si vero terminata ista fuit praescientia in hominibus; ut sunt homines, erunt omnes homines electi; contra quod dicit scriptura, *paucos esse electos. Matth. XX, 16.* Si praeuidit vero Deus homines ut peccatores; non minus praedestinatio agnoscenda erit uniuersalis; cum *homines omnes sint peccatores Rom. III, 32. V, 12.* Atqui eligere est alios ab aliis separare. Quid ergo esse dicamus, quod omniscientiae Dei, cui *nota a seculo sunt omnia opera ipsius Aet. XV, 18.* fuit obiectum in aeternitate? quid aliud nempe? nisi quod tempore ab homine requiritur, ut haereditas illa aeterna obtineatur? Id quodnam est aliud, nisi *obsequium euangelio praestitum, siue fides ad finem vitae perseverans Rom. I, 5.*? Nam haec ita est conditio ex diuino beneplacito constituta, ut eius impletione homo salutem consequatur. *Marc. XVI, 16. Ioh. III, 16.* Quid enim? annon id, per quod in tempore homines discernuntur, ut alii electi sint alii minus, id ipsum est, quod Deus ab aeterno praecognouit, secundum quod electio & segregatio perageretur? Aut vero Deus in tempore ob causas homines ad salutem perducit alias, quam ab aeterno secum constituit? quod quam absurdum sit arbitrandum ipsis relinquimus; qui nobis aduersantur. Numquid vero non ipsi consentiunt, quae Deus in tempore facit, id eum ab aeterno facere decreuisse? Ita vero DAVID PAREVS: *(s) Est autem in Theologia indubitabilis regula, nitens sacrae scripturae auctoritate: Quicquid Deus in tempore facit, id eum ab aeterno facere decreuisse, cum in Deum cadere nulla possit mutatio.* Rectissime Paree; sed perge modo & infer ex bene

ne

(s) in *Actis Syn. Dordra. p. m. 292.*

ne positis. Atqui Deus ex fide nos saluat in tempore, vt propter incredulitatem damnat reprobos; consequitur ergo, vt ob eandem causam ab aeterno credentes quidem aeternum seruare; perseueranter vero infideles damnationi deuouere decreuerit; cum in Deo mutatio nulla locum habeat.

§. X. Quid est autem, quod subscribere vereantur veritati, quam constanter amplexa est sana & sancta antiquitas? Non vacat nunc quidem omnia secula percurrere; temperare tamen nobis non possumus, quin aliqua saltem adferamus testimonia, quibus quid demum reponent Reformati? Ita vero inquit CHRYSOSTOMVS, (t) cum ad verba Pauli Rom. XI, 2. *populum quem praesciuit*, explicanda se accingeret: *Τοῦτέστιν ὃν ἦδει σουφῶς ἐπιτήδειόν ὄντα καὶ τὴν πίστιν δεξόμενον, quem clare cognouerat aptum fore, fidemque recepturum.* Eodem fere modo THEOPHYLACTVS (u) ad verba Pauli: II. Tim. II, 19. *Nouit Dominus; Τέπει, inquit, προεγνωσθῆσαν ὑπὸ θεῶ, ὡς αὐτῶ ὄντες ὁλοκληλῶς. Καὶ προεξελέγησαν, ὥστε μὴ συναλεσθῆναι τοῖς σαρκοτέτοις.* Hoc est: *a Deo sunt praecogniti, vt qui omnino ad eum pertineant: atque praelecti sunt, ne peruertantur cum putridioribus.* Quibus plane consentientia scribunt Ambrosius & Hieronymus, sed quae prolixiora sunt, quam vt huc possint adscribi, quae tamen qui volet, legat apud AEGIDIUM HVNNIVM. (x) FVLGENTII (y) tantummodo quaedam non possumus non huc adponere: *Praedestinavit ad regnum, quos ad se praesciuit misericordiae praeuenientis auxilio, redituros; & in se misericordiae sub-*

C 3

(t) Hom. XIIII. in Rom. XI, 2. p. m. 215. (u) in II. Tim. II, 19. p. m. 815. (x) De Praedest. p. m. 288. (y) De Praedest. ad Monim. lib. I. p. m. 292.



subsequentis auxilio esse mansuros; in istis misericordiam custodiens. Quid vero multis? certum est omnino, ante Augustini tempora constantem & vnam hanc omnium patrum fuisse sententiam. Hoc nos docet ipse PROSPER (z) ad Augustinum scribens; cuius hic non possumus ipsius verba recitare: *Illud etiam qualiter diluatur quaesumus patienter insipientiam nostram ferendo demones, quod retractatis priorum de hac opinionibus, pene omnium par inuenitur & vna sententia; qua propositum & praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem vnius cuiusque praeciderit, & sub ipso gratiae adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione, praescierit.* Quin & ipse AVGVSTINVS aliquando idem plane sensit, quanquam, cum in adserenda gratia diuina contra Pelagium ferueret, magis ipsi placuit referre electionem ob absolutum quoddam beneplacitum, nullo alio habito respectu, quod de homine praesciri & attendi possit. Quanquam cum Augustini hic faciamus mentionem, tolerari nequeat, vt, licet non per omnia sana illius mens sit, a Reformatis in partes trahatur, cum illius opinio a Reformatorem erroribus, in momenti momenti maximi praecipue dissideat; quod fusc quidem a doctissimo PETAVIO, (a) sed breuius a nostro inter alios ABRAHAMO CALOVIO (b) demonstratur ad oculum. Videri tamen & potest VOSSIVS, (c) qui Augustinum prolixè in multis a Reformatorem imputationibus vindicat,

## §. XI.

(z) *Epist. ad August. p. m. 587.* (a) *Dog. Theol. Tom. I. lib. X. cap. VI. VII. IIX. p. m. 689. seq.* (b) *Tom. I. System. cap. II. sect. II. qu. XIV. p. 227.* (c) *Histor. Pelag. lib. VIII. part. I. p. 646.*

§. XI. Vident Reformati scripturam ipsam stare a partibus nostris, quare, vt hoc argumentum nobis eripiant, comminiscuntur, in locis Paulinis *αεγνωσιν* non idem esse ac praescientiam vel praecognitionem; sed idem hoc in loco sonare ac ante decretum. At vero quo iure hoc vocabulum a sensu genuino in alienum plane rapiunt? Quamuis enim concedamus scriptoribus profanis *γνωσκειν* idem aliquando valere, ac quod Latinis statuere atque discernere est; quorsum allegari posse videntur illa Promethei apud LVCIANVM (d) verba: *ως δεΐξαι ἀδικα ἐγνωσότε περ ἐμῆ τὸν Δία. Vt rationibus demonstrarem iniustam sententiam a Ioue contra me pronuntiatam,* At neque in versione interpretum septuaginta, neque in noui instrumenti voluminibus hac notione verbum illud accipi euidentis est; nec minus constat, neque verbum ipsum *αεγνωσκειν*, neque nomen *αεγνωσις* in discernendi atque constituendi significatione siue apud exoticos, siue apud sacros auctores vsurpatum inueniri. Sicuti & Syrus verba Rom. IIX, 29.

*وَأَبَدًا*  
 & ab initio nouit illos, reddidit, alibique semper vsitato sensu accepit. Atqui subiiciunt ex aduersariis illi, qui in interpretatione sua praecognoscendi verbum retinent, praescientiam illam idem esse hoc loco; quod bene placitum atque decretum. Hoc enim modo commentatur BEZA (e) in Pauli verba, modo allegata. *Quos praenouit, id est apud se arcano & aeterno suo consilio amare constituit suo demum tempore nascituros & vocandos. Vel quos*

(d) in Prometh. Tom. I. p. m. 175. (e) in Rom. IIX, 29. p. m. 57.

quos praesciit, non a praescire, sed a praesciscere, id est ante discernere, sicut index γινώσκων, id est, statueret, & magistratus vel plebs sciscere, id est sancire dicitur. Vellemus scire, quo argumento hanc expositionem nobis Beza velit facere probabilem? nobis sane nihil videtur posse excogitari inconuenientius atque coactius. Si enim praeuisio idem sit, quod praedestinationis decretum, vt haec fert interpretatio, & communis Reformatorum sententia, necesse est, vt demum in hunc sensum resoluatur textus: *Nam quos praedestinauit, hos praedestinauit*, quae quam sit indignissima tanto Apostolo scribendi ratio, per se patere existimamus. Ac videat mihi aliquis, in quantas absurditates incidat pertinax hoc absurditates tuendi studium. Si praescientia haec idem est, ac beneplacitum atque decretum, dicamus oportet, quae cunque ab improbis designantur facinora, ea Dei auctoris decreto atque beneplacito patrari, quippe cum quae fiunt & committuntur in mundo flagitia, a Deo praecognoscantur omnia. Quare ergo tam inclementer & inique ferunt, quare tam altos tollunt clamores, quum accusantur a nobis, vt qui Deum constituent peccatorum auctorem? Quid enim, quod nexuimus ratiocinio, se habet rectius? An vero parum constat Reformatis, quam solícite scriptura sacra praescientiam Dei a definito eius consilio atque decreto distinguere soleat? Quid clarius illis Apostoli verbis? τῶν τῆ ὀλεσμένη βελῆ καὶ περιγνώσει τὸ θεῶ ἐκδοτὸν λαβόντες διὰ χειρῶν αἰσίων, περιπέσαντες ἀνείλετε. Hunc definito consilio & praescientia Dei traditum, quum accepisset per manus iniquorum, crucifixum interemistis. Act. II, 23. Nondumne adparet, a consilio Dei & decreto distingui eius praescientiam? At quis vero diceret, cum Petrus dicit:

cit: Vos itaque, dilecti, *καθ' ὅσον οὐκ ἐστιν* cum praesciatis, quod nempe indocti & instabiles epistolas Pauli sint falsa interpretatione calumniaturi, *caute vobis*, II. Pet. III, 16. 17. quis inquam diceret, id fidelium, ad quos scribebat Petrus, voluntate ac consilio futurum esse? Sed quid pluribus opus est? adficientem nobis habemus DANIELEM CHAMIERVM, (f) qui contra Pontificios disputans, ipsemet multis argumentis euincit, praedestinationem & praescientiam non esse synonyma, nec praedestinationem aequae esse actum intellectus, quemadmodum praescientia.

§. XII. Ut vero, quantopere nostra doctrina a Pelagiana haeresi discrepet, euadat longe clarissimum ad modum eorum, quae oculis sunt exposita, tentabimus utrorumque mensuram aliqua delineare. Sic itaque animo fingemus, esse lacum, circa cuius ripas ludibundi pueri agant procacius, qua petulantia accidat, ut in eundem praecipitentur. Cogitemus porro, ita esse pueros in undas prolapsu vires adfictas atque prostratas, ut membra sua quousque aquae pertingunt, cum mouere quidem valeant, supra tamen aquae superficiem illa nec erigere, nec oculorum aciem ad contuendum aliquid exerefe possint. Haec cum adspiceret vir maximus, tactus perentium miseria, mittit in lacum filium proprium, heroem robore eminentem, qui manu comprehensos pueros feliciter ex morte praesentissima eripiat, quorum tamen nemo eximatur imminenti exitio, nisi qui in seruatorem illum suum, sub aquas ingressum, intueatur, manique eius, quam porrigit omnibus, suam manum insinuet. Quis est vero, qui non agnoscat, hoc typo mortalium gemi-  
*imū ἢ τοῦ θεοῦ, καὶ οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς, ἀλλὰ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.*

(f) Contr. Tom. III. lib. VII. cap. III. p. 88.

nus in Adamo se pernicie inuoluens in imagine aliqua  
 repraesentari? Nam illud quidem voluntario lapsu in per-  
 niciem se coniecit, quo sane grauissimo casu tantopere de-  
 bilitatae atque fractae sunt vires hominum, vt licet quo-  
 ad res inferioris hemisphaerii ipsi non amiserint intelli-  
 gendi volendique facultatem, mysteria tamen fidei nec  
 ratione sua adsequi, nec quae spiritualiter bona sunt, ap-  
 petitu & consilio amplecti possint. Misertus autem be-  
 nignissimus Deus hominum, prolapsu suo pereuntium,  
 omnes desiderat a pernicie liberatos. Nec intra desideria  
 inania subsistere patitur iuuandi ardorem atque propo-  
 situm; quin immo mittit vnigenitum filium, gigantem il-  
 lum robustissimum, qui ereptos ex miseria omnes saluti  
 sempiternae restituat; sed id quidem voluit fieri ratione  
 creaturae rationali conueniente, nempe vt homines Ser-  
 uatorem suum agnoscerent, nec minus quod suarum est  
 partium libenter facerent. Vult ergo, vt in liberatorem  
 suum adspiciant omnes, eiusque manum, ad auxilium ipso-  
 rum se exporrigentem, amplectantur, vt in ipsum cre-  
 dant eiusque sanctissima merita fiduciali apprehensione si-  
 bi adplicent. Hic iam se manifestissime prodit discrimen,  
 quod orthodoxos atque Pelagianos intercedit, nam Pela-  
 gianorum quidem error fuit, homines id praestare posse  
 propriis, quas ex lapsu primi parentis retinuerint, viribus,  
 nec peculiari ipsos indigere gratiae diuinae subsidio, vt  
 Christum, mundi redemptorem, fide amplectantur, cum  
 nec originalis aliqua detur culpa in omnes Adami poste-  
 ros peruadens, nec eo vsque homines spoliatos ac de-  
 fectos viribus fuisse in rebus ad salutem attinenti-  
 bus, vt se ipsos iuuare, & ea quae ad salutem comparan-  
 dam requiruntur, praestare non possint, hoc est, vt simi-

litu-

litudini nostrae conuenienter rem efferamus, immerfos in lacum non ita esse omnino viribus debilitatos, vt ultra eundem manus oculosque non queant sustollere, & ad opem, quae offertur, amplexandam sese conferre. Cum contra constantissima & per omnia cohaerens orthodoxorum sit sententia, necessarium esse ad Christum fiducia complectendum ope ipsius peculiari Seruatoris; nec collocatum esse in cuiusquam viribus, vt vel oculos fidei in Seruatorem tollere, vel manum suam manui eius inferere valeat. Hinc ergo, vt figuram nostram absoluamus, censendus est noster ille heros in aquas, in quibus immerfi palpitant homines, oleum aliquod virtutis plane admirabilis infundere, quod diffusum per aquas ei, ad quem pertingit, non quidem necessitatem aliquam adfert ad circumplectendam opem oblatam, sed vires interim sufficit, quibus id, si velit, expeditissime valeat. Hoc vero schemate euangelium significare volumus, quod est *potentia in salutem omni, qui credit, Rom. I, 16*. Videlicet cum isto, sua sponte immerfos alluente, connexa est plane singularis Dei gratia, atque id si homo per aures ad mentem immitti atque pertingere patitur, iam vero praestare potest ipse, quod naturalibus saltem viribus subnixus praestare nequitquam poterat.

§. XIII. Sed de sententiae nostrae veritate abunde quidem constare nunc posse arbitramur; proximum est, vt aduersariorum quoque ictus, quos summis viribus in nos intorquent, scite atque prudenter declinemus. Eligendus autem nobis erit, cum quo congregiamur propius; & cum quonam libentius, quam, qui & ipse nobis proximus instat, cum WENDELINO, viro acuminis laude polente. Agedum ergo, educat in aciem argumentorum

suorum robur, faciamus periculum, an non sit, quo elidere rationes in contrarium allatas, veritatemque tutam ab inuasionem istius queamus praestare. Sic autem nos aggreditur. (g) *Vos si animis totis Pelagii mentem auersamini, cur nondum linguam? Sed nec mens vobis sana est, qui fidem electioni non subordinatis, sed praecordinatis, neque electionem quorundam infidelium ad fidem agnoscitis, sed in praecognitione Dei fidelium, adeoque fidem praecognitam electione priorem, quoad ordinem statuistis: nempe medium ad finem destinatum, quoad ordinem, ipsa voluntate, finem & media decernente, prius; quod plane absurdum: de quo plura deinceps. Cumque fidem illam praecognitam tandem in praecedentes arbitrii irrogeniti actiones & dispositiones resoluatis, illudque vetus: Facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat, adprobetis, & discretionis causam in homine adsignetis, plenis utique velis in Pelagianos scopulos impingitis, sanaeque doctrinae naufragium facitis.* Tria, ut videmus, sunt, quibus Pelagianismi suspectos nos esse probare adnititur. Quorum prius illud a subordinatione mediorum ad finem desumitur. *Si fidem Deus in electis praecognit, eandem quoque eis dare decreuit, id factum eo fine est, ut seruarentur, quum fides consequendae vitae aeternae (quod nos largimur,) sit medium; unde consequetur, quum media ordinentur ad finem, non finis ad media, elegisse nos Deum ad fidem, quia nos elegit ad vitam, non contra. Igitur Deus prius dare vitam aeternam decreuit, quam fidem electorum praecognit; unde praedestinatio non facta est ex fide praecognita, sed ad fidem.* Hoc ratiocinium si totum largiamur, nullum plane periculum imminet causae nostrae. Neque enim negamus, Deum

(g) *Exercit. II. §. 17. p. 75.*

Deum prius constituiffe homines faluare, quam fidem praecideret electorum. Datur nimirum decretum generale faluandi omnes homines, in Christum credentes, quod beneuolentia illa vniuerfali, omnes lapsos complectente, innititur, quodque praedestinationis decretum praecedit. Quocirca rectissime dicitur; Deum decreuiffe nobis dare fidem, vt vita aeterna, qua compotes nos reddere voluit, potiamur. Non propterea tamen oportebit dicere, decretum electionis destinasse homines ad fidem, cum illud de fide danda consilium, decretum electionis in intellectu diuino praecesserit, illud generale autem decretum de faluandis ex misericordia hominibus subsequatur; id quod ex diuina oeconomia supra a nobis delineata manifestissime patet. Male ergo statuitur exinde, quod non minus patet, nos ad fidem esse praedestinos, quanquam PETRVS MOLINAEVS (*b*) pluribus id demonstrandum suscepit. Nam licet & illud largiremur, quod largiri necesse tamen non est, nondum tamen, quod Reformati volunt, exinde conficietur, praedestinationem continuo fore absolutam; nec vllum in mente Dei praecessisse respectum ad hominis aliquam praedestinosandi dispositionem; quantum libet non ex viribus homini a natura inlitis, sed gratiosa Dei operatione, actiones hominis omnes praeueniente, introductum, qua nempe possit verbi auditor, si velit, effectum repugnantiae naturalis, actionibus Dei conuertentis resistentis, cohibere. Praedestinosasset enim Deus solos illos ad fidem, qui primos gratiae motus conuersionem intendentes, praefracte non repudiaserint. Interim res omnis plana est, si decreta diuina iusto ordine posita atente considerentur. Operae tamen erit pretium videre,

D 3

quo-

(*b*) *Membr. LIX. Anat. Armen. cap. XIX. XX. XXI. p. 95. seq.*



quomodo CHRISTOPHORVS FRANCKIVS, (i) Theologus in Academia Kiloniensi celeberrimus, ad Wendelini superiorem argumentationem responderit, euidenter per clarissima exempla commostrans, medium aliquod morale, quale fides nostra est, ad finem destinatum, voluntate finem ad vsum mediorum perspectum decernente, qua tali, prius esse posse.

§. XIV. Altera Wendelini, Pelagianismi nos coarguentis ratio est, *quia fidem praeuisam in praecedaneis arbitrii irrogeniti actiones & dispositiones resoluamus; illudque vetus, facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat, adprobemus.* Sed nos quidem contra dicimus, partim iniuria nobis haec imputari; partim mentem nostram, cum optimum sensum admittat, in sequiorem partem abripi. Conuenio fidem tuam, Wendeline, vnde probabitur, fidem nos in praecedaneas arbitrii irrogeniti actiones resolvere? Hoc si nos facimus, facient quoque id ipsi Reformati; vnde & accusatores nostros Pelagianismi crimen subire oportebit. Si enim Pelagianus est, qui dicit, electionem hominum esse ex fide praeuisa; non minus & Pelagianus erit, qui dicit, quod ipsi vna nobiscum agnoscunt, iustificationem fieri ex fide praesenti in tempore; quum par vtrique sit ratio; atque hoc illud est armorum genus, quo non tantum perpetuo ipsorum impetum sustinere, sed & validissime ipsos referire possumus. Quod vero libero arbitrio attribuimus in hoc negotio ipsi non attribuendum? fidem dicimus Deum praeuidere, non vt arbitrium humanum eandem suis viribus elicit, sed vt homo eandem a diuina gratia motus & praeuentus

(i) Exercit. II. Anti-Wendelin. c. XXI. p. 104. seq.

suo in animo concepit. Ait tamen alibi: (k) *Praecedanea hominum studia ita nos extollere, vi decreuerit Deus fide nonnullos donari. Praeteritis aliis, quia praecuidit, externa media ipsos amplexuros prae aliis, & per naturam facturos, quae alii non sint facturi, quam vis possint.* Quid vocat hominum praecedanea studia? praecedunt in homine adulto fidem concipiendam actus paedagogici, praecedit & oblata per euangelii praedicationem gratiae diuina admissio. Actus paedagogicos praecedere dicimus oportere veluti conditionem a Deo requisitam, quam si quis nolit adimplere, ipse quoque fidem eidem non indulgere constituit, id quod tamen non causam dicimus vel meritum esse Deum ad fidei donationem impellentem. Quod vero homo gratiam offerendam non repudiet, id non spectatur, ex nostra opinione, praedestinationis in negotio, tanquam aliquid, quod positue ad susceptionem oblatae gratiae concurrat, sed neque vt priuatio aliqua, quae naturali hominis facultate sit introducta; sed vt est effectus diuinae gratiae omnibus verbi diuini auditoribus per verbum collatae, ita vt possint non morose, si velint modo, reluctari; quanquam nondum se ipsos iuuare ipsimet valeant. Quemadmodum enim ad conuersionem sui non tantum nihil conferre dicimus hominem positue; sed id quoque praeuientis gratiae esse beneficium adseueramus, quod negatiue non morose & perseueranter motui diuino, conuersionem eius adgrediendi, repugnet; immo, quemadmodum potentiam illam, qua ad recipiendam gratiam diuinam aptus est, non dicimus esse in viribus naturae positam; sed praeuienti gratiae diuinae adscribendam: & proinde, vt in scholis loquuntur, *mere obedientialiter passi-*

(k) VVENDEL, *Vind. Theol. christ.* §. 26. p. 89.

*passiuam*; quod a doctoribus nostris (1) dudum ex *Röm. VIII, 7. 8. Ezech. XXXVI, 22. 26.* est demonstratum; ita etiam in praenotione diuina, aliter sese ista habitura, non potuerunt praeuideri. Quod si ergo verba Wendelini hunc habeant sensum, quasi praecedanea illa studia nobis causa sint & meritum, Deum inducentia, vt fidem electis donet: iam supra negauimus, id vnquam in mentem nostram venisse; sicuti & nemo nostrum vel sensit vnquam vel docuit, per naturam nos facere posse quoad actus supernaturales, quae alii non sunt facturi quamuis possint; ista enim, vt audiuius, gratiae diuinae in solidum in acceptis referimus. At vero vetus illud; *facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat*, calculo nostro adprobamus: At quanam ista in re est culpa nostra? Si Pelagius olim eodem dicitio vsus est, fecit iste sensu longe alio, hominem videlicet, gratia quamvis non adiutum, viribus naturae elicere in se posse actum fidei; ope-  
raque, per easdem vires praestita, gratiam promereri. Nos vero isto canone id tantum volumus innuere, Deum hominibus, mediis externis recte vtentibus, velle quoque dare gratiam internam, cuius beneficio fidem possint concipere; nec tamen exinde sequitur, rectum mediocorum externorum vsu gratia interna spiritus sancti esse meritum; sed id modo constari exinde potest, certum esse ordinem, quo progredi conuertendos oporteat; id quod minime omnium est absurdum. Nec enim Deus nos saluatu-  
ros ex viribus extremis omnipotentiae suae agit, veluti agunt, quae aliter agere non possunt; vti est in machinis ac brutis potentiis conspicuum, sed vti ipse est potentia libera, & vires suas per certos gradus & intra certum

mo-

(1) SCHERZ. *Syst. Loc. XI. §. II. p. m. 292.*

modum exferit, intendit ac remittit; ita cum homines rationis adhuc sint participes, non vult eosdem in machinae indolem conuertere, id quod fieret, nisi & ipsis relictum foret, viribus naturae, saltem quousque pertingere possunt, recte uti; oblatamque gratiam, quamuis adiutos ope diuini Spiritus, non repudiare. Et quid est quaeso, quod hic dicimus, quod non iam pridem & a scriptura sacra fuerit dictum. *Rom. I, 18. 19. 20. Act. XIV, 16. 17. XVII, 26. 27. Matth. XIII, 12.*

§. XV. Nonne vero hac ratione *discretionis causam adsignamus homini, cum tamen interroget Apostolus? Quis enim te discernit? quid vero habes, quod non accepisti? I. Cor. IV, 7. rem tanto fortius negaturus.* Sed neque nos Apostolo, neque Apostolus nobis est contrarius. Loquitur isto in loco Paulus de donis gratiae, quibus se efferentes fideles hoc coarguuntur argumento, quod charismata illa non ab ipsis fidelibus, sed a Deo habeant originem? Sed quid hoc contra nos valebit, qui adserimus, neque fidem a Deo praeuisam, nostris adscribendam esse viribus, sed opus Dei esse in tempore ab ipso producendum, *Iob. VI, 29.* statuimus nimirum, Deum in praeuisione sua, nihil magis in praedestinando, quam in reprobando inuenisse, nisi quod ipse sua gratia esset introductorus. Unde quod credentes a non credentibus discriminantur, hactenus modo in hominibus causam adsignamus, quod illi quidem & externis mediis recte vsi internaecque diuini Spiritus operationi non resistentes, gratiae coelestis beneficio actum fidei eliciant, hi contra & externis mediis abutantur, & internae gratiae, fidem operaturae, opponant obicem, qua resistentia fides excluditur. Quid iam clarius est, distinctionem hominum, quae fit per gratiae dona, a

E nobis

nobis non hominibus ipsis, sed diuinæ benignitati, id quod & Paulus vrget, assignari? Sed nondum acquiescit nos accusandi studium; *Nam si fidem*, adiungit paulo post Wendelinus, *(m) Dei esse donum serio agnoscitis, cur praeuisam potius in homine, quam decretam homini a Deo dicitis? Quando ideo in homine eam praeuidit, quia dare eam homini decreuit, non distincto aliquo ab electione decreto, sed ipso electionis decreto, quo hominum aliqui ad finem per media obtinendum sunt electi ex sola Dei eudoxia, ordinem finis & mediorum constituyente. Ita si doceretis, de Pelagianismo ne suspecti quidem essetis.* Ain vero Wendeline? decretam nos potius dicere fidem debere, quam praeuisam; cur ergo fidei tuae consanguinei in Pauli loco *Rom. IIX, 29.* quod supra *(n)* ostendimus, praeuisionem illam per decretum explicant, si praeuisum non idem iam sit, quod decretum? Sed nos reuera hoc loco non veremur dicere, etiam praeuisam fuisse fidem, uti a Deo fuit decreta: decreuit enim, ut supra audiuius, fidem, & ad fidem dare omnibus media; quod dandae fidei decretum uti praedestinationis decretum praecedat, ita ab eo seiunctum est; electionis autem decreto non aliqui ad finem per media sunt praedestinati; sed quia Deus praeuidit, vsuros mediis esse recte, quos eligit; id enim, quod supra iam negauimus, concedi Wendelino nequit, fidem ex decreto praedestinationis tanquam causa adaequata fluere. Nam ut concedimus, esse quosdam effectus electus proprios, veluti est donum finalis perseverantiae & vitae aeternae; ita negamus, fidem vnice ex praedestinatione fluere; cum constet, tum ex dilucidis scripturae sacrae dictis, ut sunt *Luc. IIX, 13. II. Thess. II, 3. Ebr. VI, 4.* tum ex exemplis clarissimis, credidisse illos etiam

*(m)* S. 28. p. 814. *(n)* Membr. XI.

iam, quos postmodum cognitum est sibi ipsis accelerauisse interitum, quorum quidem fides ex praedestinatione originem habuisse dici nequit. Que vero sensu & Augustinus & Lutherus fidem electorum peculiare donum, solis electis destinatum, adpellitauerint, docet accurate HÜLSEMANNVS. (o)

§. XVI. Hoc idem, quod proxime Wendelino responsum est, respondemus quoque FRANCISCO TURRETINO, (p) quem patiemur ipsi ferre suppetias. Est autem illius hoc aduersus nos ratiocinium. *Si electio est ex fide praeuisa, oportet, ut eam praeuiderit in nobis Deus vel tanquam actum naturae, qui a nobis profisciscatur, vel ut actum gratiae, qui a Deo pendeat, vel ut actum communem, qui ab utroque coniunctim, partim a Deo, partim ab homine oriatur: Ita est Turretine, recte enumeras. Quid aduersum nos vis inde concludere? Si ut actum Dei, inquis, ergo praeuidit eam, ut donum suum, id est, a se decretam ex electione; & sic electionem sequetur, non praecedet: Si ut actum naturae, ergo nos ipsos discernimus contra Paulum, I. Cor. IV, 7. & vicit Pelagius. Sed satis iam haec sunt; nec opus est, ut plura audiamus; ex his enim, quae iamiam a nobis disputata sunt, liquido adparet, quam falsus sit opinione sua Turretinus, quum ex eo, quod fides donum Dei sit, concludat continuo, ex electionis decreto esse. Adeone nulla Dei dona sunt, quam quae ex electione profisciscuntur? Num quid vocatio quoque, iustificatio, sanctificatio non gratiosi Dei actus sunt, dona inaeestimabilia secum ferentes, quae aequae in electos ac reprobos conueniunt? hoc si negauerit quispiam, videat,*

E 2

quam

(o) Breviar. cap. XV. §. II. p. m. 423. (p) Institut. Theol. elench. loc. IV. qu. XI. p. 397.

quam graui se obstringat flagitio, Deum simulatorem improbum faciens, verbum diuinum ac sacratissima mysteria vi insita spoliens, religionemque nostram omnem vertens in ludibrium.

§. XVII. Aiunt tamen Theologi e Britannia Dor-  
draceni, vt nos Pelagianismi conuincant: (q) *Pari ratione ab electione excludenda est praeuisa fides, qua praeuisa opera. Aequae scilicet dici poterit, Deum elegisse sanctos propter conditionem sanctificationis annexam, ac credentes propter conditionem fidei. Neque enim obscurum est, fidem hanc praeuisam penitus transire in naturam operis: quod apertius constat ex adiecta conditione perseverantiae, quae certe nihil aliud quam obedientiae, sanctimoniae, ac bonorum operum segetem complectitur. Haec collectio si valet, sana erit & nostra, non minus contra ipsos Reformatos valitura. Aequae enim dici poterit, Deum iustificasse sanctos propter conditionem sanctificationis annexam, ac credentes propter conditionem fidei. Nondumne intelligunt, hac ratione se in propria inuadere viscera, vt qui iuxta nobiscum iustificationem ex fide profitentur, id quo iam olim EPISCOPIVS (r) Capellum, similiter concludentem, propulsauit. At reuera fides quatenus nos iustos ante Deum facit, in bonorum operum censu a nobis adeo non habetur, vt eidem & hoc respectu opponatur, quod ipsa nimirum sola sit instrumentum, beneficium iustificationis apprehendens; opera vero neque promereantur eam, nec apprehendant; quod ex Rom. III, 20, 27. 28. IX, 30, 32. firmissime colligimus. Perseuerantia vero plane non addit fidei aliquem virtutis cumulum, neque dignitatem*

pecu-

(q) In Actis Synod. Dordr. p. m. 495. (r) Exam. Theol. Capell. Tom. I. p. m. 177.

peculiarem; sed solam designat durationem, quae ut quantitas nihil efficit; quamuis non negemus, fidem perseuerantem arctissimo nexu semper habere secum concomitantem vitae sanctimoniam.

§. XVIII. Sed non est necesse, ut operosiores simus in refutandis aduersariorum rationibus, quod fusius quidem praestitit Theologus Ienensis acutissimus, IO. MUSAEVUS; (s) cum viri ex ipsis Reformatis primarii, ab ingenuitate utique hac in parte laudandi, nobis patrocinentur, suo nos ab imputato crimine absolventes testimonio. Sane vero, nihil est, quod rei nostrae possit esse conducibilius. Sic ergo FRIDERICVS SPANHEMIVS, (t) filius, Vir celeberrimus, cum docere vellet, quam magno Arminiani atque nos interuallo seiungamur, fatetur, *fateri inter alia Theologos, a Luthero denominatos, gratiam Dei reuera praeuenire omnem operationem hominis, nec in hoc vllas esse vires ad conuersionem, nisi a gratia praeuentas, excitatas, & motas, ut ad primam gratiae acceptionem se non habeant, nisi passue, quod diserte Calixtus. Non dari illam, nisi ex decreto, de danda gratia efficaci ad credendum; nec Deum quicquam praeuidere, nisi dependenter a se, ut causa prima, minus praeuidere bonum spirituale in nobis. Et alibi: (u) Interim tamen discrimen Lutheranorum ab Arminianis rursus non vnum est. 1. Nullas supponunt Augustani Fratres in homine corrupto vires liberi arbitrii; nec huius voluntatem cum gratia sensu Pelagiano aut Semi-Pelagiano, reprobaturum in ipso libro Concordiae. 2. Gratiam praeuenientem agnoscunt, quae praeueniat omnem hominis operationem in conuersione. 3. Hominem in primis suae conuersionis*

E 3

nis

(s) de Elect. Decret. cap. XI. p. 243. (t) Elench. controuers. p. 350. (u) pag. 372.



nis momentis se habere mere passivae, receptivae, in ordine ad Gratiā primā & conuertentem, nobiscum profitentur. Eadem plane ratione PETR. IVRIVS, (x) magnum inter Reformatos nomen, cum pacem inter nos atque suam partem instituere vellet, insigne nobis praeberet innocentiae testimonium, verbis quidem Gallicis, quae tamen summa fide Latine reddemus. Cum ergo dixisset, inter alia ad conciliandas partes hoc medium esse facillimum, abstinere ab accusationibus mutuis, odii plenissimis, & quae sciamus optime, neutram partem docere, exempli causa subiicit: *Non amplius accusabimus fratres nostros Confessioni Augustanae addictos, quod sint Pelagiani vel Semi-Pelagiani; nec confundemus eosdem cum Arminianis.* Et post pauca; *Theologia protestantium in Germania & in regionibus septentrionalibus ad annihilationem hominis eiusque fastum proculcandum planissime tendit. Volunt decretum esse non absolutum, sed gratuitum, supprimunt liberum arbitrium, quousque modo suppressi potest; teste libro Lutheri de libero arbitrio. Habent in hoc argumento eas loquendi formulas, quae modum excedere deprehenduntur. Nostram salutem gratiae diuināe omnem adscribunt. Docent nos posse ne minimum quidem absque gratia peragere; gratiaque in ipsorum Theologia primarium caput constituit. Denique & subiiciamus LAMBERT. VELTHVTSIVM, (y) qui, quam valde alieni simus a Pelagianismi crimine, aperte testatur: Lutherani hodierni, & inter eos doctiores & aequiores, tertiam tuentur sententiam, qua profitentur, hominem nihil posse sine gratia, gratiam omne opus bonum attingere, etiam primam vocatis ad bonum motionem: putant tamen Dei operationi eiusque gratiae resisti posse. Satis est nobis, tam illustri-*

(x) Jugement sur les Method. sect. XVI. p. m. 91. (y) Praefat. in Doct. de grat. Tom. I. opp. p. m. 248.

atribus auctoribus ab impacta haeresi liberos nos proclamari. Utinam tandem omnes ea in nos aequitate vterentur, ne, quos longissime a nobis abesse demum & ipsi confitentur, errores perniciosissimos nobis attribuant.

§. XIX. Haec si ita, vt se habent, sese habeant, licet iam comparationem inter nostrum dogma & Reformatorum instituire, vt pateat, quatenam sententia ad mentes hominum solatio solido erigendas, & vera constantique animi tranquillitate demulcendas sit magis comparata. Per nostram igitur doctrinam, nihil neque nostris naturalibus viribus de saluifero influxu adscribitur, neque gratuito Dei beneficio, cui salus nostra vnice est adscribenda, quicquam detrahitur. E contrario per dogma Reformatorum homini adhuc conuertendo fiducia omnis de benevolentia Dei erga se plane intercluditur; verbo & sacramentis vis intrinseca adimitur, & vis contra diuina quaedam a verbo distincta irresistibilis, & necessitatem quandam se conuertendi paucis quibusdam adferens, inuehitur; id quod pluribus praeceptor beatissimus, IOH. ADAM. SCHERZERVS, (z) & celeberrimus DAN. SEVER. SCVLTETVS (a) aliique plures iam dudum ostenderunt. Vtram partem amplecti sit magis tutum atque conueniens?

§. XX. Oramus tamen partem aduersariam, vt rem tanti momenti secum paulo diligentius expendat. Fuit cum aliquando PAVLVS STEINIVS (b) non incelebris inter Reformatae Ecclesiae pastores, Feurbornio nostro promitteret, se ire velle in nostram sententiam, si modo argumentum, a Pelagianismo petitum, se non retraheret, iste si sibi eximeretur scrupulus, se iam nostrum fore; qua quidem solitudine

Feu-

(z) *Breuiar. Hulfem. cap. XV. §. VI. p. 996.* (a) *Animadu. in iudicium Iurii §. 105. p. 88. seq.* (b) *in deduct. fundament. cap. V. p. 244.*

Feuerbornius eum mox dexterrime leuabat. Agedum vero, vident Reformati nostrae doctrinae innocentiam, quid obstat? quod nobis se non adiungant, saltem in capite hoc omnium grauissimo. Improbamus, reiicimus, damnamusque Pelagianismum; nec vlla est consequentia, quae ex nostra opinione eundem elicere possit, nisi aliquis cauillandi artem in subsidium aduocet. Quam vero multa sint, quae nos ab ipsorum absoluto decreto deterreant, nec ipsi ignorant, & multi ingenue consentunt. Vti nec ipsi negant, quibus difficultatibus systema ipsorum sit obnoxium; quos inter *IRIUS*, *(b)* Roterodamensium Theologus, imprimis est memorandus. Quare ergo mauelint potius inhaerere doctrinae, veteri ecclesiae incognitae, & ansam & desperationem suppeditanti; quam doctrinam amplecti tot difficultatibus non laborantem. Est enim vero prudentis, eam sequi doctrinam, quae ob miram consolationis dulcedinem bonis mentibus magis arridet.

§. XXI. Nos vero si istud nunc agendum esset, potiori iure Pelagianismum in Reformatos possemus coniecere. Notissimum est, docere reformatam ecclesiam, quod docet CALVINVS; *(c)* etiam ante baptismum *christianorum liberos sanctos censerī, vel altero dumtaxat fidei parente genitos*. Atqui id & Pelagianos olim docuisse, constat inter omnes; nempe paruulorum esse regnum coelorum, & sanctos adeo omnes ex vero prodire fidelium liberos; quorsum & Ezechielis locum *Ezech. XIIX, 20.* allegare consueuerunt. Hoc si sit, sequetur, homines profligatissimae nequitiae, qualis vel Iudas fuit, vel Iudaei Christum interficientes, & sanctos fuisse, & saluos factos, ab vtero matris sanctificatos. Nam a viris sanctis fuerunt progeneriti, & sanctitatem, quae ipsorum animos semel occupauerat, amittere non potuerunt, cum perseuerantiam, ex mente Reformatorum, certamque salutis possessionem vera sanctitas semper habeat adiunctam. Sed vt ista quidem excutiamus, ceu decet, peculiari opus esset dissertatione; nobis vero, qui plura commentandi excludimur tempore, hinc nunc finiendum est.

SOLI DEO GLORIA.

*(c)* Ingement. sect. IV. p. m. 19. seq. *(d)* Instit. lib. IV. §. 6. p. m. 444. h. VOSSIVS *Histor. Pelag. lib. II. part. I. §. II. p. m. 157.*

1. Chemnitius de S. Coena
2. Fechtius de sacrificio Misae
3. Gaffius de S. Coena.
4. Werensdorf de S. Coena.
5. ~~Id.~~ de S. Coena.
6. ~~Id.~~ de S. Coena.
7. Werenfels de S. Coena.
8. Schmidius de Oblatis Eucharisticis.
9. Werner de Jure excludendi à S. Coena.
10. Lritius de Pelagianismo.
11. Holzfus de quatuor Novissimis.
12. Gerharde de Appellatione ad Supremum Iudicem.
13. Graun de Statu animae hum: post mortem.
14. Clausing de controversia Nestorianismi.
15. Götzi disquisitio num muribundus et.
16. Mosheim de Felicitate Coelstiae.
17. Sontag Neutralitas Religionum.
18. Scherzerus de peccato in Spir: S.
19. Lorius de Praedestinatione rerum hum:
20. Werensdorf de absoluto Decreto.
21. Löscher de Laroxismo abs. Decreto.
22. Dithmar de Concubinato à Xto prohibito.

Wernsdorff de Polygamia.

Hulsius de turpitudine incestae

Clacofeni animadversiones.

Zudens de poena damnatorum officienda.

Wolle de Interitu mundi.

Heltthemius de Iustificatione.

Mieg de pariete intergerino.

Mosheim de tribus in terra testibz.

Heidenus de Mosi resuscitacoe.

Neubauer de Corpore Mosi.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Neubauer de Michaeli Archangelo.

Alfius de Evangelio.

monis de ratione.

ollius de Theologia.

ampe de Inspiratione sp.

rimesijs de Canonibus Apostolorum.

ajus de unico S.P. principio.

Alfius de S.P.

gsta Dissertacoe de fundamentis Revelacoeis


man de Divinitate Spiritus














(67.)

Verum innocentiam Calvini ingenue  
rui ipse Bellarminus lib. 2. de Christo  
nquiens: *sed quanquam hac ita se habeant,*  
*ipsam excutio, & Calvini sententias diligen-*  
*ter facile audeo pronunciare, illum in hoc er-*  
*videm docet, Filium esse à se, respectu Essen-*  
*Personæ, & videtur dicere velle, Personam*  
*matrem, Essentiam non esse genitam, nec produ-*  
*ctam se ipsa, ita, ut, si à Persona Filii removeas*  
*matrem, sola restet Essentia, quæ est à se ipsa.*  
productis Calvini verbis ex Instit. lib. 1.  
5. probat, licet, quoad modum loquen-  
tum errasse judicet. Ibid. c. 5. p. m. 326.  
qui inquit; *Utinam semper sic erraret Calvi-*  
Recognitione quidquam in contrarium  
Bellarmini moderationem erga Calvini  
probat Petavius Theol. Dogm. Tom. 2.  
p. m. 618. Loquendi formulam simpli-  
am, ut Sabellianæ hæresi affinem existi-  
nius in Epist. ad Joh. Uytenbog. quæ ex-  
cæstant ac Erudit. Viror. Ep. 44. p. m. 58.  
Bullus Defens. Fid. Nicænæ sect. 4. §. 7.  
40.

§. XVII.

trinitatis dogma probat Spiritûs S. Perso-  
as. Spiritum S. esse personam divinam  
trinitarii, qui Spiritum S. Dei *Virtutem,*  
*Amorem, Auram, Agitationem & Qualitatem*  
ulmque, *quatenus in Deo manet* ut Spiritus  
*incommanens, Virtutem Dei Naturalem;* quæ  
conciipienda, sit; *quatenus vero à Deo fide-*  
*que à Deo in homines manat, Virtutem*

I 2

medi-